

2^o. Animadvertimus, Cardinalem Tuschum in suis *Practicis Conclusionibus tom. 1. Conclus. 98.* et Pyrrhum Corradum in sua *Praxi Dispensation. Apostolic. lib. 4. cap. 6. n. 38.* referre duofacta, quæ ad præsentem quæstionem intimam relationem dicunt. Videlicet referunt, Paulum II. quatuor Cardinales creavisse ut statim post mortem suam publicarentur nec non Pontificem supplevisse omnem defectum ex certa scientia et de plenitudine potestatis. Porro ut notum est, clausulæ istæ habent plenam et latam interpretationem; hinc derogant etiam dispositioni legis contrariæ, quæ expressam mentionem requirit. Quare dicendum est vi prædictarum clausularum fuisse derogatum etiam Constitutioni Eugenii IV., quam superius citavimus, quæque tunc temporis adhuc in suo vigore manebat. Nihilominus quatuor illi viri ecclesiastici qui propriæ promotionis schedam protulerunt, in conclavi recepti non sunt, nec habiti fuerunt ceu Cardinales, nisi quando a Sixto IV. iterum post aliquos annos et non in eodem Consistorio ad Cardinalatum promoti et publicati fuerunt. Item Paulus III. creavit Cardinalem, qui post mortem Pontificis Breve suæ promotionis exhibuit. Cardinales vero non solum illum non receperunt in fratrem, sed indignatione capti ipsum Breve lacerarunt. 'Et abinde', notat Corradus, 'citra abiit in desuetudinem hic modus creandi Cardinales, qui revera posset afferre magnam perniciem et maximum scandalum in Ecclesia Dei.'

Jam vero pericula, ad quæ Corradus alludit, adhuc verificantur. Quæstiones enim possunt exurgere, quibus haud facile satisfieri potest. Sic ex. gr. si in dubium revocetur authenticitas vel integritas schedæ nuncupationis Cardinalium, quinam erit iudex competens? Præterea si in specie sermo esset de insertione schedæ in testamento Pontificis, præsertim nostris temporibus, quibus S. Sedes dominatione civili spoliata est, quæri posset, quænam sint conditiones ut testamentum Pontificis valeat, et quinam sit iudex competens valoris ipsius testamenti. Quare non pauca dubia oriri possent contra electionem novi Pontificis ex concursu istorum Cardinalium in forma extraordinaria nuncupatorum. Istæ animadvertiones a viro doctissimo et in rebus practicis Curie Romanæ maxime experto conscriptæ fuerunt, dum incepit vulgari notitia de publicatione aliquorum Cardinalium anno 1875 per testamentum Pontificis facienda. Et revera expositas difficultates persensisse videtur Pius IX. quando ei innotuerunt. Nam Summus ille Pontifex

dum promotionem per implicitam nuncupationem complevit die 15. mensis Martii 1875, sollicitus inde fuit subsequenti mense Septembri ejusdem anni, die 17., Consistorium intimare, ibique nomina quinque Cardinalium in pectore reservatorum publicare.

Hisce omnibus perpensis, salvo meliori iudicio, arbitramur non expedire, ut in creatione et publicatione Cardinalium a forma ordinaria et solemni recedatur et præsertim ut per testamentum Pontificis publicatio Cardinalium fiat.

De Dignitate S. R. E. Cardinalium.

25. Specialis fuit usque ab antiquitate dignitas Cleri Romani idest illorum presbyterorum et diaconorum, qui præerant titulis et regionariis diaconiis, quique constituebant presbyterium Romani Pontificis. Notat *Thomassinus loco cit. cap. 113. n. 3. circa fin.* jam ab ipsis Cypriani temporibus inductum in moribus fuisse ut Clerus Romanus magna in Ecclesia universali æstimatione gauderet, et mortuo Summo Pontifice, negotia universalis Ecclesiæ tractanda susciperet, et literas scriberet, quibus Episcopi facile morem gerebant. Quare cum in causa Gilberti Porretani formula fidei proposita a s. Bernardo approbata et subscripta fuisset ab Episcopis Galliæ, Cardinales querelas Summo Pontifici admoverunt, quod res fuisset definita absque eorum consensu, ac proinde eorum auctoritas despecta fuisset. Porro inter alias rationes Cardinales animadvertent, se esse successores illius vetustissimi Cleri Romani, qui cum Pontifice solitus fuit consulere et definire de rebus magni momenti tum ad fidem tum ad disciplinam pertinentibus. Cfr. *Thomas. cit. loc. n. 4.*

26. Verum fatendum est, Cardinales in antiquitate non fuisse in dignitate præpositos Episcopis, Archiepiscopis etc. Sane in Concilio Rom. ann. 1015. sub Benedicto VIII. plures Episcopi subscripserunt acta Synodi ante ipsos Cardinales-Episcopos prout vel erant Archiepiscopi vel erant ratione ordinationis antiquiores. Insuper Leo Ostiensis loquens de electione Victoris III. ann. 1086 nominat prius Episcopos et postea Cardinales.

27. At sensim sine sensu dignitas S. R. E. Cardinalium aucta fuit. Causæ vero fuerunt præsertim 1^o. jus exclusivum eligendi Romanum Pontificem, quod incepit in Concilio Romano sub Nicolao II. an. 1059. ubi primæ partes in hoc tanto negotio Cardinalibus Episcopis commissæ sunt, et completum evasit sub Alexandro III. in

Concilio Lateranensi III. 2^o. Frequentes legationes S. Sedis, quas Cardinales suscipiebant, et negotia provinciarum et regnorum tractabant, suis mandatis subjicientes etiam Episcopos, Archiepiscopos etc. 3^o. Mos qui cœpit induci, ut soli Cardinales Romano Pontifici propriis consiliis adsisterent.

Ex hisce præcipue causis Cardinalatus summum, quem assequi poterat, honoris et præ eminentiæ apicem in Ecclesia attigit. Unde Eugenius IV. in Const. *Non mediocri* edita ann. 1428. edicere potuit, post Caput Ecclesiæ, quod est Papa, contigua membra sui corporis, quæ sunt fratres ejus Cardinales, præ cæteris Ecclesiæ membris ac partibus honorari debere, et Cardinalatus dignitatem esse majorem et sublimiorem episcopali, archiepiscopali et patriarchali dignitate. Eadem repetit Leo X. in Const. *Superna*. Quare in hodierna disciplina S. R. E. Cardinales primum locum tenent et primam dignitatem constituunt post Romanum Pontificem. Unde etiam in Decreto consistoriali Urbani VIII. diei 10. Junii 1630. assecuti fuerunt titulum *Eminentiæ et Eminentissimorum*.

28. Neque hæc omnia contra jus constituta fuisse dici potest. Nam licet Cardinales Presbyteri et Diaconi ratione ordinis sacri Episcopis sint inferiores; tamen ratione officii jure meritoque potuerunt Episcopis in dignitate præferri. Cum enim Cardinales lateri Summi Pontificis adhæreant cum eoque constituent magistratum qui præest Ecclesiæ universali, hinc eorum officium muneri Episcopali præstat, cujus potestas intra certos territorii alicujus limites coarctatur. Jam vero nemo ignorat, dignitatem personarum in Ecclesia non commensurari ex ordine, bene vero potius ex jurisdictione. Hinc jure Decretalium Archidiaconus qui ordine diaconus erat, sed in jurisdictione erat Episcopi Vicarius, Archipresbytero præferebatur. Hinc etiam licet Episcopus et Archiepiscopus sint in caractere æquales, tamen revera ob jurisdictionem archiepiscopalis dignitas major est episcopali. Et ratio est, quia potestas ordinis proprie dirigitur ad sanctificationem animarum procurandam per sacramenta et sacramentalia, adeoque principaliter respicit elementum spirituale et invisibile Ecclesiæ; potestas vero jurisdictionis ordinatur ad regimen fidelium, adeoque principaliter respicit corpus Ecclesiæ, idest elementum visibile et externum ejusdem. Unde quoniam ratio honoris et præ eminentiæ proprie afficit regimen publicum quo Ecclesia inter homines constituta apparet ceu societas

ordinata et variis gradibus distincta; hinc sequitur, personarum dignitatem in Ecclesia pendere potius ex jurisdictione et officio quam ex ordine.

29. Quoniam vero eminens est Cardinalatus dignitas; hinc merito Conc. Trid. *Sess. 24. c. 1. de Ref.* hæc habet: 'Ea . . omnia et singula, quæ de Episcoporum et præficiendorum vita, ætate, doctrina et cæteris qualitatibus alias in eadem Synodo constituta sunt, decernit eadem etiam in creatione S. R. E. Cardinalium, etiam si diaconi sint, exigenda'. Et paucis interjectis Tridentini patres ita prosequuntur: 'S. Synodus tot gravissimis Ecclesiæ incommodis commota, non potest non commemorare, nihil magis Ecclesiæ esse necessarium, quam ut Sanctissimus Rom. Pontifex . . . lectissimos tantum sibi Cardinales adsciscat, et bonos maxime atque idoneos pastores singulis Ecclesiis præficiat'. Præterea Sixtus V. in Const. *Postquam* data nonis Decembris an. 1586. decernit, solummodo legitime natos fieri posse Cardinales, et ab hac dignitate excludendos esse etiam illos, qui ex matrimonio subsequenti parentum jura legitimorum filiorum assecuti fuerint. Insuper ob honorem sacri Collegii, doctores adnotant, non solere ad dignitatem Cardinalitiam promoveri bigamos. *Ferraris Biblioth. Canonic. verb. Cardinales n. 32.* Tandem ad removendum omne periculum factionum et simultatum Sixtus V. in cit. Constitutione § 17. absolute prohibet, quominus in Sacro Collegio Cardinalium duo simul personæ reperiantur primo vel secundo gradu consanguinitatis vinculo conjunctæ, ita ut electio secundæ vivente adhuc prima sit ipso jure nulla.

30. Juxta autem mentem Concilii Tridentini in *cit. loco sess. 24. c. 1. de Ref.* Cardinales quantum commode fieri potest, eligendi sunt ex omnibus Christianitatis nationibus. Porro hoc S. Synodi consilium optimum quidem est. Nam negotia quæ tractantur a Cardinalibus et præsertim electio Rom. Pontificis, ad omnes christianas nationes pertinent. Hinc ut æquilibrium inter varias nationes observetur, et locorum circumstantiæ et exigentiæ S. Sedi melius innotescant, valde opportunum est, ut in Senatu Rom. Pontificis unaquæque natio habeat defensores et judices. Menti Concilii Tridentini constanter adhærentes Romani Pontifices usque ad nostra tempora, electos viros ad dignitatem Cardinalitiam ex variis regionibus et præsertim ex regnis catholicis promoverunt.

De munere S. R. E. Cardinalium.

31. Primarium, ut dici potest, munus et relativa potestas Cardinalium respicit Rom. Pontificis electionem. De hac tamen re superius egimus in *Tit. De Elect.*

32. Alterum munus Cardinalium extraordinarium quidem, sed magni momenti, in eo situm est, ut legati a latere destinentur. De hac vero delegatione agit Titulus *De officio Legati.*

33. Remanent duo videnda et explicanda, videlicet agendum est de munere et potestate Cardinalium in Ecclesia proprii tituli nec non de munere eorundem coadjuvandi Summum Pontificem in regimine Ecclesiae universalis et de relativa potestate.

De munere et potestate Cardinalium in propriis titulis.

34. Et primo quidem vix innuisse sufficiat, Cardinales Episcopos Suburbicarios in suis Ecclesiis Cathedralibus et propriis Diocesisibus quas in titulum obtinent, esse veros Episcopos, et plena jurisdictione episcopali gaudere.

Si autem sermo sit de titulis presbyteralibus et Diaconiis in Urbe existentibus, quisque Cardinalis in sua Ecclesia jure antiquo habebat clerum et populum sibi subjectum, ita ut unaquæque Ecclesia cum suo populo territorium quasi separatum constitueret. Quare Cardinales in propriis Ecclesiis jurisdictione quasi-episcopali potiebantur. *Cap. 11. His quæ de Major. et Obed. Const. Sixti V. Religiosa* edita Idibus Aprilis 1589; ubi hæc habentur: 'Singularis Presbyteris et Diaconis Cardinalibus propriæ in Urbe Ecclesiae tituli videlicet et Diaconiae cum suis Clero et Populo, ac quasi Episcopali jurisdictione in spiritualibus et temporalibus regendæ et administrandæ committantur'. Hinc Cardinales in suis titulis et in Capellis subjectis poterant corrigere, ferre censuras et reliqua peragere, quæ fuso calamo a *Fagnano Comm. ad cap. cit. 11. De Major. et Obed. n. 19. et seqq.* et a *Ferraris Biblioth. Canon. verb. Cardinales n. 12. et seqq.* exponuntur.

35. Jurisdictioni quasi-episcopali natura sua honor Episcopis debitus conjungebatur. Quare Presbyteris Cardinalibus in suis titulis, licet caractere episcopali carerent, insignia pontificalia tributa fuere, et sive Cardinalibus Presbyteris, sive Diaconis Cardinalibus concessum est, ut more Episcoporum populum solemniter benedicerent, indulgentiam centum dierum impertiendo. Porro

primi honores in propriis titulis adeo competunt Cardinalibus, ut nemo alius absque eorum licentia possit ibi Pontificalia exercere.

36. Verum quoad jurisdictionem res immutata est ab Innocentio XII. in Constit. *Romanus Pontifex* data die 17. Septembr. ann. 1692. in qua hæc habentur: 'Declaramus per præsentis nostras literas nullatenus ademptam esse Cardinalibus Archipresbyteris (in tribus Basilicis Patriarchalibus Urbis, idest Lateranensi, Vaticana et Liberiana) Titularibus seu Protectoribus, eorumque Vicariis, aliisque deputatis facultatem seu jurisdictionem in iis quæ servitium Ecclesiae seu loci pii, circa tamen disciplinam ecclesiasticam et morum correctionem dumtaxat concernunt'.

Hanc Constitutionem interpretantes doctores merito tradunt antiquam quasi-episcopalem jurisdictionem Cardinalium in clerum et populum in propriis titulis disparuisse et hanc jurisdictionem proprie dictam in Cardinalem Urbis Vicarium coaluisse. Etenim Cardinalibus in propriis titulis reservatur solummodo potestas in iis, quæ servitium Ecclesiae concernunt, et quidem circa disciplinam et morum correctionem. Audiatur *Pitonus De Controv. Patronor. Alleg. 41. n. 31.* 'Per quæ verba Constitutionis Innocentianæ non solum excluditur jurisdictio in populum et parochianos, sed etiam tribuitur solum jurisdictio domestica in respicientibus servitium Ecclesiae circa disciplinam et correctionem morum quæ competit omnibus Capitulis Ecclesiarum, seu eorum Vicariis, Præpositis, Prioribus seu Archipresbyteris in forma extrajudiciali pro recto Ecclesiae gubernio, nempe faciendo ordinationes et statuta in concernentibus disciplinam ecclesiasticam, et contravenientes absque strepitu et figura judicii mulctando per subtractionem distributionum et fructuum, vocis in Capitulo, aliasque mulctas domesticas et extrajudiciales . . . Neque extenditur hæc facultas ad excessus graves, et ad tribunal contentiosum, ubi delicta castigantur ad vindictam publicam.'

37. Dixi tamen, rem ab Innocentio XII. quoad jurisdictionem immutatam fuisse. Nam quoad jura pontificalia honorifica et benedictionem more Episcoporum res integra mansit. Constitutio enim Innocentiana de hac materia silet, et constans usus firmat.

38. Præterea præsto est authentica nuperrima decisio; quæ licet peculiarem quæestionem respiciat, tamen talis indolis est ut ex ea generalis theoria inferri et roborari possit. Cum enim anno 1877 enatum esset dubium, utrum jus consecrandi altare in Basilica

Eudossiana noviter extractum Cardinali Titulari, vel potius Cardinali Urbis Vicario competeret, summus Pontifex Pius IX. quatuor Cardinales Episcopos suburbicarios ad causam videndam delegavit. Interea vero instante die consecrationis peragenda, conventum est, ut pro ea vice consecratio, ratione possessionis, a Cardinali Titulari fieret. Pio IX. e vivis sublato, Sanctissimus D. N. Leo XIII. Cardinali Sacri Collegii Decano mandavit, ut quantocius quaestio resolveretur. Ut vero iudices delegati in cognitione causae tutius procederent exarata fuerunt vota consultiva et allegationes. Cum omnia essent parata et quatuor Cardinalibus Episcopis suburbicariis adjunctus fuisset Cardinalis S. R. Congregationis Praefectus, quinque Cardinales deputati die 25. Januarii 1879 ad trutinam revocarunt rationes, quae pro utraque parte militabant et tandem proposito dubio 'Utrum in Ecclesiis tituli Cardinalitii jus consecrandi Altaria spectet Eminentissimis Cardinalibus earundem Titularibus, vel potius Eminentissimo Cardinali Urbis Vicario' cunctis suffragiis responsum est: 'Affirmative ad primam partem; negative ad secundam'. Summus Pontifex audita relatione, resolutionem hanc die 30. ejusdem mensis confirmavit, et super ea solemne confici et publicari Decretum mandavit. Quod et factum est. Ex hujusmodi Decreto optime inferri potest, jura pontificalia in Ecclesiis tituli Cardinalitii ad Cardinalem Titularem pertinere. Nam ipsa eadem ratio quae pro altarium consecratione valet, militat etiam pro consecratione Ecclesiae et pro aliis juribus pontificalibus. Adeoque nemo alius haec jura exercere in iisdem Ecclesiis potest absque Cardinalis Titularis licentia.

De munere et potestate Cardinalium in sacris Congregationibus.

39. Sapientissima fuit in Romana curia institutio Congregationum: per eam enim factum est, ut forma concreta et juridica determinaretur, qua Cardinales operam suam ordinate et ex officio exhiberent in subsidium Rom. Pontificis in regimine Ecclesiae universalis. Hanc rationem Sixtus V. in Const. *Immensa aeterni Dei* data decimo primo kal. Febr. ann. 1587. in qua plures Congregationes instituit, ita exponit 'Quare Rom. Pontifex quem Christus Dominus . . . Ecclesiae caput constituit, omniumque Ecclesiarum sollicitudinem gerere voluit, multos tam immensi oneris adjuutores advocat atque adsciscit et praesertim S. R. E. Cardinales . . . qui primi laborum et consiliorum socii sunt et participes, ut partita

inter eos . . . ingenti curarum negotiorumque mole ipse (Rom. Pontifex) tantae potestatis clavum tenens, divina gratia adjutrice non succumbat.'

Insuper Congregationibus institutis faciliori et magis celeri negotiorum Ecclesiasticorum expeditioni consultum est. Unde ceu notat Walter (*Manuale del Diritto Ecclesiastico lib. 3. § 133.*) ex experientia jam nunc traditionali, et ex amplo horum collegiorum permanentium intuitu compertum est, consiliis quibus Pontifex indiget, melius provisum fuisse, quam antea fuerat ope Synodorum precariarum et mutabilium. Quare idem auctor maxime commendat mentem et consilium Sixti V. qui fuit praecipuus Sacrarum Congregationum institutor.

40. Porro aliae sunt Congregationes stabiles et ordinariae, aliae sunt Congregationes particulares et extraordinariae, quas Rom. Pontifex pro aliquo peculiari et saepe graviore tantum negotio expediendo vel causa decidenda constituit. Quo in casu solet etiam dici constituta commissio fuisse aliquorum Cardinalium. In nostra tractatione sermo erit praecipue et directe de Congregationibus Cardinalium permanentibus et ordinariis, quae proprie veniunt sub appellatione Congregationum Romanarum. Et praeter primis aliquid dicemus in genere de hisce Congregationibus, deinde autem in specie de iisdem disseremus.

41. Veniamus ad primam tractationis partem et primo quidem agendum est de natura et auctoritate Sacrarum Congregationum.

Sacrae Congregationes Cardinalium institutae sunt ad instar collegiorum permanentium ad negotia expedienda et quaestiones in forma juridica dirimendas. Quare in sacris Congregationibus Cardinales sunt veri iudices, qui sententiam dicunt collegialiter; adeoque illud pro jure habetur, quod majori eorum parti placuerit.

42. Porro Sacrae Congregationes constituunt totidem Sanctae Sedis tribunalia, et procedunt auctoritate et nomine Papae; adeoque unaquaeque earum in propria negotiorum provincia tribunal supremum constituit, cui omnes Christi fideles parere debent, non exclusis ipsis Episcopis et cujuscumque etiam altioris dignitatis Praelatis Summo Pontifice inferioribus. Quare Congregationes Romanae possunt recipere appellationes a iudicio cujusque curiae ecclesiasticae et iudicis ordinarii; nec non possunt recipere recursus in materia ecclesiastica ab omnibus fidelibus totius catholici orbis.

43. Ex eadem ratione sequitur, non posse a iudicio alicujus

Congregationis Cardinalium ad aliud tribunal appellari. Verum si partes colligantes vel una ex eis voluerit causam iterum examini subicere, eadem Sacra Congregatio iterum causam expendere debet, obtento prius, uti dici solet, beneficio novæ audientiae.

44. Quod beneficium non conceditur, quando in decisione causæ apposita fuerit clausula *Et amplius*, quæ significat *et amplius causa non proponatur*. Hæc autem clausula, ut quisque facile intelligit, non prohibet, quominus præsertim ex novis emergentibus rationibus, ipse Rom. Pontifex per remedium ad instar restitutionis in integrum causam iterum examini subijci jubeat. Quod tamen non facile contingere solet.

Quæritur quænam sit efficacia et auctoritas decisionum Sacr. Congreg.

45. Primo quidem sive dispositio in negotiis extrajudicialibus, sive decisio in negotiis ordinis judicialis emanans ab aliqua Sacra Congregatione, quoad personas quas alterutra respicit, seu quoad personas comprehensas in dispositione vel sententia, facit verum jus et veram gignit obligationem. Utraque enim induit indolem actus potestatis supremæ in Ecclesia. Licet enim neutra per se non constituat verum et solemnem actum Papalem, tamen quælibet Sacra Congregatio procedit auctorante Summo Pontifice et tamquam organum immediatum Sanctæ Sedis. Hac vero in re præ oculis habendum est Decretum Urbani VIII. diei 2. Augusti ann. 1631., in quo cavetur, ne declarationibus Congregationum sive impressis, sive manuscriptis fides adhibeatur, in judicio sive extra judicium, nisi exhibeantur in forma authentica, scilicet munitæ solito sigillo et subscriptione Cardinalis Præfecti et Secretarii. Animadvertimus vero, in Congregatione Supremæ Inquisitionis rescripta expediri munita sigillo proprio et unica subscriptione notarii Congregationis.

46. At quid dicendum de efficacia et virtute resolutionum sacram Congregationum in ordine ad personas extraneas in casibus similibus? Hæc quæstio a doctoribus tractatur præsertim relate ad Sacram Congregationem Concilii et non omnes in unam sententiam conspirant. Nobis vero sequentes normæ præ oculis habendæ esse videntur. Primo quidem certo constare debet de origine resolutionis quæ allegatur, sive ex documento in forma authentica exhibito, sive ex fide et relatione scriptorum gravis notæ et cognitæ sinceritatis. Posito quod certo constitèrit de alicujus resolutionis authenticitate, distinguendum est, utrum resolutio Congregationis sit ge-

neralis, et exhibeat principium juris, vel potius resolutio nihil aliud sit, quam applicatio juris alicui facto peculiari.

47. In ordine ad primam hypothesim animadvertimus in more positum esse S. Sedis, ut resolutio Sacræ alicujus Congregationis in puncto juris non solum a Summo Pontifice ad relationem Secretarii in audientia probetur; sed etiam de mandato speciali Pontificis per solemne decretum resolutio illa publicetur. Horum Decretorum plura proferri exempla possent. Tale est Decretum Urbis et Orbis Sacræ Rituum Congregationis diei 12. Januarii 1704. circa jura parochialia, functiones et præminentias inter Parochos et Confraternitates laicorum, earumque Capellanos et officiales (*Giraldi Jus Pontificium Part. I. Sect. 627*). Tale pariter est Decretum supra relatum edictum de mandato Sanctissimi D. N. Leonis XIII. circa jus Cardinalium consecrandi altaria in propriis Ecclesiis titularibus. Tale est pariter nuperrimum Decretum quo idem Summus Pontifex die 17. Martii 1879 confirmavit decisionem S. Congregationis Concilii diei 13. ejusdem mensis et ejusdem anni, juxta quam excluditur impedimentum publicæ honestatis a matrimonio quod civile dicitur. Porro quoties resolutiones alicujus S. Congregationis tali modo probantur et publicantur, verum jus commune constituunt adeoque omnes obligant. Fiunt enim totidem actus papales publici et solemnes quibus supremus legislator in Ecclesia vel anti-quam legem interpretatur, vel novam legem promulgat.

48. Quid vero dicendum si resolutio alicujus S. Congregationis sub forma generali et abstracta sit concepta, careat vero publicatione per Decretum? Specialis regula figenda esse videtur in ordine ad Sacram Congregationem Concilii. Etenim huic Congregationi Sixtus V. in *cit. Const. Immensa* § *Deo autem* aliique Summi Pontifices facultatem tribuerunt legitime interpretandi decreta super reformatione morum in Concilio Tridentino edita. Interpretatio autem hæc debet Romano Pontifici pateferi. Ait enim Sixtus in *cit. Constitutione*: *'Nobis tamen consultis'*. Ex quibus verbis infertur, non requiri probationem solemnem Summi Pontificis sed sufficere ut decisio Sacræ Congregationis in privata audientia a Secretario referatur Pontifici et Pontifex significet se nihil habere quod publicationi decisionis illius opponat.

Quibus positis, resolutio S. Congregationis Concilii in puncto juris disciplinæ Tridentini exhibet authenticam et juridicam interpretationem alicujus decreti conciliaris, quæ interpretatio perinde

habenda est ac si facta fuisset ab ipso Summo Pontifice. Unde per eam determinatur sensus Tridentinæ dispositionis, ac proinde loco legis merito habetur et ad casus similes extendenda iisdemque applicanda est. Cfr. *Fagnanus comm. in cap. Quoniam 13. de Const. n. 8. et seqq.* et præsertim n. 65.

49. Adnotant vero doctores, Sacram hanc Congregationem non posse resolutionem dare, quæ sit sive restrictiva sive extensiva Tridentinorum decretorum, sed solummodo comprehensivam resolutionem dare posse, quæ scilicet decretis ipsis adhæreat et eadem explicet. Cardinales enim hujus Congregationis non sunt veri legislatores, qui jus mutare possint, sed constituti sunt solummodo legitimi interpretes, qui sensum legis determinant. Cfr. *Maschat Proleg. Juris canonici n. 22.* Animadvertimus autem frequentes non esse resolutiones Sacræ Congregationis Concilii in forma generica et abstracta; immo hodie ordinariam praxim ejusdem esse, ut quæstiones peculiare resolvat et particularibus casibus jus constitutum applicet. Formula enim solita dubiorum est: 'An constet de valore matrimonii *in casu*'; 'an Canonicus Theologus teneatur ad servitium chori et altaris *in casu*' et similia.

50. Quod si sermo sit de resolutionibus aliarum Congregationum in puncto juris, quoniam speciale mandatum Summi Pontificis interpretandi juris non receperunt, veram legem non constituunt, et absolute loquendo non obligant. Verum, quemadmodum supra notavimus, Congregationes Romanæ in re disciplinari constituunt totidem tribunalia suprema in Ecclesia, quæ auctorante Pontifice Summo et ejus nomine jus dicunt. Quare eorum resolutiones magnam sibi vindicant auctoritatem et cum reverentia suscipiendæ sunt, maxime si plures et uniformes fuerint. Hoc enim in casu quid juris apud S. Sedem firmiter teneatur, manifeste ostenditur.

51. Quid vero dicendum, si resolutio alicujus Congregationis casum peculiarem taxative afficiat et applicationem juris constituti ipsi casui particulari proprie referat?

Quemadmodum supra notavimus, resolutio hæc procul dubio obligat personas contra quas fertur et verum jus tribuit personis, quibus favet. Haberi enim merito debet ceu sententia *a suo iudice lata cap. 3. De Consuet.* Quoad vero personas extraneas in eadem conditione versantes, idest quoad casus similes, jus vere non facit. Decisio enim in casu particulari considerari potest ceu sententia iudicis, quæ ad personas a iudicio extraneas haud quaquam

extenditur juxta principium legum romanarum: *Res inter alios acta nobis neque prodesse neque nocere potest. Leg. 2. Cod. Quibus res judicata non nocet.* Quod principium a jure canonico recognitum est in *cap. 25. De sentent. et re jud.*

52. At si circumstantiæ omnino similes verificentur, iudex ordinarius resolutione Congregationis uti merito potest ad similem quæstionem decidendam. Resolutiones enim sacrarum Congregationum plurimi æstimandæ sunt ob auctoritatem ex qua dimanant, et ob maturitatem examinis, quod iisdem præmitti solet.

53. Quin immo, si in casibus particularibus similibus aliqua Congregatio constanter uniformem sententiam tulerit; ex hujusmodi uniformi iudicio, merito certa conficitur regula, quæ jus traditionale constituit, cui contraire iudices inferiores nefas est, sed potius jus hoc fideliter est custodiendum et observandum. Hoc enim proprium est tribunalium supremorum, ut dum casus particulares solventes, leges in aliquo determinato sensu constanter interpretantur, forenses traditiones progignant, quæ certas pro iudiciis regulas defigere solent.

De modo et normis, quibus negotia ecclesiastica in Sacris Congregationibus generaliter pertractantur.

54. Ut rei claritati consulamus, quædam criteria exhibenda esse arbitramur. Et primo quidem præ oculis habendum est sequens criterium: Sacræ Congregationes constituunt totidem tribunalia S. Sedis in externo et visibili regimine Ecclesiæ universalis. Hinc negotia, quæ apud easdem Congregationes pertractantur, directe ad forum externum pertinent.

Negotia enim conscientia quæ forum internum respiciunt et pœnitentiale, ad Sacram Pœnitentiarum spectant. Quare recursus et petitiones quæ Sacris in Congregationibus proponuntur, expresso nomine et cognomine recurrentis vel oratoris fieri debent.

55. Secundum criterium. Unicuique Congregationi peculiare negotiorum genus adsignatum est ceu patet ex Bulla institutionis et ex ipso titulo cujusque Congregationis. At exceptis negotiis characteristicis unius vel alterius Congregationis, ex. gr. quæstionibus, quæ relationem habent ad fidem quæque exclusive pertinent ad Congregationem S. Officii vel ad S. Congregationem Indicis, si de libris errore infectis agatur, quæstionibus circa jura et obligationes Religiosorum, quæ spectant ad S. Congregationem Epis-